



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

398 VASSALLVS.

cap. 18. soli Mendicantes, & Malten-
ses eximuntur à contributione fa-
cienda feminariis habendis in vna-
quaque Diocesi. q. 67. art. 3.

VASSALLVS.

Vide Feudum, Monasterium.

Benedictini nigri iure habent vas-
fallos, & in eos vtramque iuris-
dictionem exercent. Olim Cister-
tensibus non licebat, sed hodie id
eis priuilegia concedunt. tom. 3. q.
73. art. 1. & 2.

VICARIVS.

*Vide Absolvere, Electio, Reser-
uatio casuum.*

Vicarius institutus à Capitulo,
aut Ministro Prouinciali ad
regendum in Absentia Guardiani,
aut Prioris, tempore quo præsidet,
gaudet authoritate, & priuilegiis
Guardiani; non autem alius ab ipso
Guardiano delegatus in absentia
sui, & dicti Vicarij eam authorita-
tem in omnibus habet. tom. 1. q. 19.
art. 2.

Vbi statutum est in Religione,
quòd Præsidentes aut Vicarij Con-
uentus

uentus eligi nequeant in Discretos mittendos ad Capitulum prouinciale; non potest cum iis Visitator etiam cum plenitudine potestatis sine iusta causa dispensare; si tamen dispenset, videtur valida dispensatio, nisi Præses Capituli eam irritet. *tom. 2. q. 53. art. 15.*

Vicarij instituti, vt supra, habent in absentia Guardiani iurisdictionem ordinariam, quam & aliis delegare possunt. *tom. 3. q. 76. art. 1.*

Mortuo Generali in Ordine Minorum, non potest eligi Vicarius Ordinis vsque ad Capitulum generale, sine expressa Papæ licentia, ex constitutione *Nicolai IV. art. 2.*

Guardianus non habet auctoritatem amouendi Vicarium institutum à Capitulo, aut Ministro prouinciali; bene autem à se constitutum; huius officium mortuo Guardiano expirat, non autem alterius. *art. 3.*

Vicariatus Episcopalis plurimum dedecet statum Regularem Mendicantium, non autem aliorum Monachorum; modò adsit licentia non solum Superioris Conuentualis, *sed*

400 VISITATIO,
sed etiam Prouincialis, saltem se-
cundum aliquos *art. 5.*

VISITATIO.

Vide Tertiarij.

Cum Superiores, præsertim Re-
gulares, exactam debeant suæ
villicationis rationem reddere, con-
venientissimum est officium Visita-
tionis seu Syndicationis Fratrum.
tom. 2. q. 4. art. 1.

In Ordine Minorum per statu-
ta non debent institui Visitatores
prouinciæ, nisi illi, qui aliquando
fuerint Prouinciales, aut Diffinito-
res in praxi causarum Regularium
bene versati. *art. 2.*

Visitatores instituti cum pleni-
tudine potestatis pro tota vna pro-
uincia, non autem si pro vno solo
Conuentu, videntur posse alios sub-
delegare, nisi id eis sit interdictum.
art. 3.

Omnes Prælati generales, &
prouinciales iure diuino tenentur
aliquando visitare Fratres suos;
quod probant Doctores ex illo
Luca: *Et tu aliquando conuersus*
confirma Fratres tuos; & ex iure
Cano

VISITATIO. 401

Canonico, singulis annis. *Ex Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 10. & 20. art. 4.*

In visitatione facienda hic ordo seruandus est Primò, visitator proponat verbum Dei. Secundò, inquirat de vita Fratrum, & de locis, & rebus cultui diuino dedicatis secundum iuris dispositionem. Tertiò, de obseruantia Canonum, Præsertim contra *Conc. Trid.* Quarto de obseruantia Regulæ. Et quintò denique de iis quæ solent à Visitatoribus inquiri. *art. 5.*

Iusiurandum exigere debet à Visitatore, non tantum vt quilibet dicat veritatem eorum de quibus interrogabitur; sed etiam eorum omnium quæ scit, credit, vel fama est, *ibidem.*

Iniuste agunt Visitatores, qui inquisitione facta præcipitanter emittunt aliquos Fratres non infamatos, nec conuictos, ad alios Conuentus; aut per sanctam obedientiam vel excommunicationem veritatem ne deinceps ingrediantur quasdam domos non infamatas; quia ista vergunt in iniustum dedecus

Cc Fratri,

Fratris, & aliquando totius cōmunitatis; sed debent occultè obuiare malo, modo congruo. *q. 6. art. 9.*

Secundùm ius antiquum poterant Abbatissa, & Priorissa visitare non solùm suum Monasterium, sed etiam omnia alia sibi subiecta; ob-
tenta tamen licentia ad egredien-
dum; qua non obtenta tanquam le-
gitimè impeditis licebat visitatio-
nem committere alteri etiam maf-
culo omni exceptione maiori. Sed
per *Concil. Tridentin.* prohibetur eis
egressus ea de causa. *art. 10.*

Ordinavit *Clem. I V.* in Ordine
Cistertiensi, vt Visitator facultatem
habeat deponendi omnes Officia-
les Monasterij, etiam Consiliarios,
cum consilio tamen prudentum, &
causa id exigente; non tamen Ab-
batem, nisi in certis casibus, licet
possit eum suspendere ab officio
vsque ad Capitulum, in quo defen-
sionis locum habebit, *quæst. 26. arti-
culo. 3.*

Lex antiqua visitationis videtur
inducta ad syndicationem non
communem hominum, sed Su-
periorum; & præsertim Iudicum,
quorum

quorum est alios regere. *tom. 3. q. 77.*
art. 1.

Visitatores non debent facile audire leues; aut impertinentes, multò minùs diffamatorias accusationes inferiorum, sæpius ex passione cæcutientium contra Prælatos; sed prudenter tolerare communem eorum cum aliis infirmitatem: vel ad summum ipsos in particulari mone-
re. ar. 2.

Quàm discretè debeat Visitator procedere contra Prælatum accusatum in visitatione, pro quo meritò semper est bene præsumendum, nisi sit diffamatus, *vide art. 3. 4. & sequentibus.* Quomodo procedendum sit contra calumniatores, excommunicatione Papali *Innocen. VIII.* inhibuit, ne quisquam Regularis, aut Ecclesiasticus, cuiuscumque dignitatis sit, Cistercienses visitare præsumat, præterquam eiusdem Ordinis Abbates,
art. 9.

Qui quidem Abbates eodem priuilegio præceptum habent cum excommunicatione ipso facto incurrenda, visitandi singulis annis



Monasteria sibi subdita; alij autem Prælati Regulares, licet illam excommunicationem non incurrant, peccant tamen grauius; cum in re graui præceptum quoddam maxime necessarium frangant. Sed vtrūque intelligitur de negligentibus, & rebellibus in huiusmodi visitationibus. *art. 10.*

V O T V M.

Vide Castitas, Dispensatio quoad vota, Matrimonium, Monialis, Professio, Religio.

Superiores Ordinis Sancti Benedicti ex concessione *Martini V. & Eugen. I V.* auctoritatem habent dispensandi cum subditis, ubi rationabilis causa id exigit, super quarto voto quod emittunt, de clausura obseruanda, *tom. 3. quæ. 78. art. 1.*

Donati in Ordine sancti Benedicti solennia vota emittunt, non autem in aliis Ordinibus. *art. 2.*

Communis est opinio Doctorum, maiorem nasci obligationem ex voto, quam ex iuramento. *tom. 2. quæst. 121. art. 3.*

Doctè

Doctè probat *Sanctus Thomas*,
 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 6. ad perfectio-
 nem acquirendam necessarium esse
 votum, figuratum olim in votis Na-
 zaræorum. Et multi Doctores illu-
 stres cum S. Hieronymo declarant
 primos Christianos solitos vouere
 quædam, ex illo Scripturæ, *Cur*
tentavit Satanas cor tuum? non es men-
tus hominibus, sed Deo. tom. 1. *quæst.*
 1. *art.* 1.

Ad solennitatē voti multa requi-
 runtur. Primò, vt præcesserit proba-
 tio per annum in habitu Regulari.
 Secūdò, professio expressa, vel taci-
 ta. Tertiò, receptio proprii Supe-
 rioris valentis incorporare. Quartò,
 vt fiat in certa & determinata Reli-
 gione. Quintò, quod illa Religio sit
 approbata à Sede Apostolica. *art.* 2.

Solennitas votorum non est es-
 sentialis Religioni; cum olim apud
 primos Religiosos, quos Sancta
 simplicitas & verecundia fatis in
 Religione continebat, non fuerit in
 vsu; sed postea crescente hominum
 malitia, ad vitandam fraudem, fuit
 introducta in Synodo Rom. sub In-
 noc. II. ann. 1139. ad diremptio-



nem matrimonij. *to. 3. q. 1. art. 2.*

Potest summus Pontifex effectum dirimendi matrimonij etiam voto simplici tribuere, vt fecit *Greg. XIII.* in Nouitiis Societatis elapso biennio vota emittentibus; quæ vota licet sint simplicia, efficiunt tamen veram, & absolutam perpetuam traditionem, ex parte vouentis, sed tantum conditionatã ex parte acceptantis; vnde sunt verè Religiosi. Quod autem post dicta vota retineant dominium & proprietatem suorum bonorum, solo eorum vsu, & administratione abdicatis, est quidem præter essentiam Religionis, non tamen contra, vnde sine dubio potuit summus Pontifex dispensare ad bonum finem institutionis, & conseruationis eorum. *tom. 1. quæst. 1. art. 4. & tom. 3. q. 1. 6.*

Progressi Societatis eminentes expressè quartum votum de obediendo Domino Papæ, non magis inde obligantur ipsi obedire in suis obseruantis regularibus, quàm alij Religiosi, cum omnes illud idem tacitè ex æquo fecisse censendi sint:

Papa

Papa enim non tantum vt caput totius Ecclesiæ, sed vt Author formalis omnium Regularium, est proprius omnium Religionum Prælatus. *tom. 1. q. 22. art. 6.*

Tria vota solita emitti à Religiosis, sunt iure diuino ita essentialia Religioni; vt vno deficiente etiã per dispensationem Papæ; ipsa etiam desinat esse Religio, & is cum quo fuit sic dispensatum, Religiosus. *qu. 25. art. 1.*

Tenuerunt multi, Fratres Minores emittere quartum votum solenne de seruãda tota Regula, dicendo: *Voueo obseruare Regulam Fratrum Minorum*; sed hanc clausulam doctè explicat *D. Thom.* cum aliis debere intelligi: *Voueo obseruare Regulam, & vitam in Regula modificatam*; vnde nullum inde nouum votum exurgit. *q. 26. art. 4.*

Votum inferioris numquam potest augere Superior axioma Diui Bernardi: *Votum meum non adauget Prælatus. tom. 3. q. 19. art. 8.*

Hic obserua (candide Lector) concessionem Leonis X. de ieiuniis à
Fras

